Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Martii, 1707.

M. ANTONIO PEPIN, Doctore Medico & rei herbariæ Profeſſore, Præſide.

Eſt-ne fermentorum vel mutuæ glandularum & liquorum configurationis opus, ſecretio?

PERENNI ſuccorum motu vitam conſtare quis negaverit? Integram ſervat tritura jugis, fovet non interrupta ſecretio. Trituram intellige non in ventriculo ſolùm, ſed in toto corpore. Cœptam in ventriculo perficiunt cordis contractio, pulmonum compreſſio, vaſorum continua oſcillatio. Inde ſuccos in minutiſſimas partes attenuari ne dubites? Succorum fluxilitati reſpondet vaſorum flexilitas: hæc à villis naturâ contractilibus, quibus membranæ prima vaſorum initia conflantur, ducit originem. Quid ſi glandulæ ipſæ tubulorum & vaſorum ſint glomerationes & plicæ, ſyſtaltici membranarum motûs obſtinatè tenaces? hic ut liquori & vaſi communis, ſic unicus erit ſecretionum omnium author. Quâ arte ſanguis ſecernendos ſuccos à ſe dimittat interrogas? Glandulam concipe (præcipuum ſecretionis organum) arteriæ versùs cor reflectendo venam continuam efformantis curvaturam? Venæ & arteriæ directione ſolâ diſcrepant: vas idem aptè dixeris duplici uſui inſerviens. Arteriam inter & venam ſpatium intermedium ne quæras? ut igitur ſola vaſa motu continuo atteruntur, ſic etiam ſola nutritione reparanda. Hinc nutritio vera ſecretio. Succorum omnium ut & ſecretionum unica Chylus materies: hic variè ſubactus & comminutus, motu prætereà actus celerrimo, vario vaſorum diametro ita accommodatur, ut hujus modò, modò illius liquoris, ſolo trituræ gradu ab alio diſcrepantis, ſpeciem & colorem induat. Motus igitur localis ſatis unus eſt ad vitæ munia. De illius efficaciâ dubitas? ad illius cauſas attende? Validiſſimam dico cordis contractionem à meningibus ortam, vaſis communem. Quibus igitur artibus ſuccos ſecerni putas? Circuitûs ſanguinis vim & effectus, ne dicam utilitatem, prorsùs ignorare videntur, qui ſingulis partibus ſua conſtituunt fermenta: circulationem crepant quam non intelligunt. Neque commodiorem ſecretionis expediendæ rationem à variâ cribrorum figurâ ſperes? hæc enim ſi requiritur, fruſtrà ſecretionem expectes. Sic partes pabulo ſuo defraudari, ſanguinem excrementitiis refertum particulis vitiari continget. Ut enim ſecretione conſtat imprimis corporis œconomia, ſic ab eâdem læſâ morbos oriri quis dubitat? Unum & idem ſanitas & ſecretio. Hanc quovis modo ſuſpenſam aut ſuppreſſam morbum dicas? ad vitam ſi neceſſaria, nullo igitur mutuæ configurationis aut fermenti ſubſidio hanc obtineri neceſſe eſt: hinc ſecretionis inſtituendæ faciliorem aliam, expeditiorem & naturæ conſentaneam magis quæramus viam.

EADEM eſt veritatis & naturæ via: quæ huic minùs repugnant, ſi non vera, ſaltem aliis vero proximiora credideris. Simpliciſſima utriuſque ratio; naturam enim ut & veritatem arguit ſimplicitas. Hinc certiſſima rerum omnium norma, perſpicuitas. Nec pro certo quidquam aſſeras quod ſenſu perceptis evidentiâ cedit. Principium ignotum quid adhibes, cum aliud evidentius longè tibi ſuppetit. Geometras conſule? credis problema quod unico poſtulato & evidente expediri poteſt, per multa nec evidentia deducturos? quin potiùs omnia, ſi fieri poſſet, unico theoremate abſoluerent. Eos in tractandâ Medicinâ ſequi quid vetat? Neque enim ſpretis melioribus artis mechanico-phyſicæ magiſtris * rudi & imperito * fortaſſe credas? Quid ad ſecretiones corpora nec data, nec agnita, per poros nec agnitos, nec conceſſos trajicere nos cogit? Vis adeſt huic operi par aut ſuperior; quid igitur dubiam & incertam ad id adhibere lubet? Occultas veterum qualitates exulaſſe quid juvat? inanes vacui metus, formarum ſubſtantialium ſtrepitus quid prodeſt conculcaſſe? ad ſecretiones occulta fermenta, poroſque dicto audientes intulerunt eximii illi rerum novatores. Mutato nomine eandem narrari fabulam quis non videt? Præclarum ſanè Haruæani inventi fructum! Majorum errata aliis ut declinanda monſtrare, monſtrata declinare non potuerunt. Abſit à politiori noſtrâ ætate tam abſurda Philoſophandi ratio: nil novi in arte Medicâ proponatur quod in ægrorum ſolatium non redundet: cœtera ut inutilia, ſic irrita dicas laſcivientis phantaſiæ conamina. Secretionis imprimis artificium noſſe convenit; hujus enim auxilio non excrementitii ſolùm, ſed apprimè utiles ſeparantur ſucci, quorum auctâ vel imminutâ ſecretione, mirum quanta inde oriatur morborum & ægritudinum cohors. Utilium & excrementitiorum, craſſorum & tenuium ſecretionem iiſdem artibus fieri ne dubites? nullum inter glandulas niſi vaſorum numeri aut diametri ratione diſcrimen eſſe arbitreris? hinc conglomeratæ, ut ren & hepar, in quibus major adeſt vaſorum diameter, minor numerus, craſſiores exportant ſuccos; conglobatæ quibus major vaſorum numerus, minor obtigit diameter, tenuiores. Ne ſuccos ideò ſeparari putes ut foràs omnes excernantur? quoſdam ſanguini circuitu proprio reddi ſuadet experientia, evincit eorum uſus; ſic terreſtrioribus depoſitis, ſubtiliores bilis particulæ per venas meſaraïcas ad hepar denuò ſecernendæ deferuntur: ſic ſucci nervoſi tenuiori parte per cutem diſſipatâ, ſpiſſior lymphaticorum ope ſanguini iterùm admiſcetur. Secretionis igitur ut ad vitam maxima neceſſitas, ſic ſimplex eſſe debet illius inſtituendæ artificium.

elli, vi, i, rne. ric. en. r. me- ica to-me- deli- o.

PARTICULARUM ſanguinis, vaſorumque ſecernentium mutuam multiplicemque figuram ad ſecretiones requiri ſi credas, fallit te cribri vulgaris analogia. Sanguis quidem ſuccorum multorum dives variis diverſæ molis & figuræ particulis conſtat. Sed quid inde? ſi fluidus ſanguis, fluida quoque ab eo ſecerni neceſſe eſt; nullo igitur ad ſecretiones configurationis mutuæ opus erit auxilio. Neque enim glandulas corpora cribriformia credideris ſanguinis per arterias illati receptacula, ſolis particulis ſibi figuræ ratione reſpondentibus pervia; fluida quippe, ut nullius figuræ tenacia, ſic etiam quodcunque orificium, ſolutâ cohæſione, ſubire facillimè poſſunt. At fortaſſe ſolidas dixeris moleculas in glandulis ſecernendas? quæ rursùs junctæ & ex pluribus minimiſque loculis in majus ſpatium delatæ fluidum conſtituant (ſi tamen ex ſolidis quid fluidum emergere putandum eſt.) Sed eſto, ſeparandos ſuccos concipias minimis ex ſolidis conflatos, num major inde vaſorum ſecernentium & ſecernendarum particularum proportionis mutuæ neceſſitas? Num evidentior cribrorum uſus? Num ſecretio facilior? Quin potiùs nullam omnino celebratum iri exiſtimes? ſi enim unico tantùm caſu fieri poſſe conſtet, mille modis æquè valentibus impediri, nunquam celebrandam eſſe certò pronuncies. Orificium ponas triangulare, quadratum, parallelogramnum, quodcunque volueris, ſolidum corpus licet ſimilis & æqualis figuræ, nec minus nec majus, omni alio excluſo non admittet, niſi ad orificium ſimiliter poſitum acceſſerit. Quid autem moleculas ſecernendas ad obvia foramina ita accommodabit, ut aliter ab iis poſitæ non appellant? ſed ponas orificiis ſimiliter poſitas allabi, nonne eadem corpora per diverſæ figuræ orificia eâdem facilitate ſecerni poterunt? Fidem facit cylindrus parallelogrammo & circulari orificio adimplendo ſufficiens. Vel igitur quovis loco quælibet indiſcriminatim peragetur ſecretio, vel nulla omnino prodibit. Num hujus explodendæ ſententiæ certius indicium? Hæc ſi non valeat, inquies, ſecretionis inſtituendæ ratio, cur ſucci tenuiores vaſa craſſioribus deportandis & ſecernendis deſtinata negligunt? Quos graviores & magis conſpicuos vides, ne craſſiores ideò putaveris? Hoc eſto multitudinis imperitæ judicium; particulis abſolutè minoribus nonnunquam conſtare monſtrabit experientia. Sint duo liquores, alter craſſior, tenuior alter, in vaſa injiciendi; prior ea ſubibit aliquandò vaſa, alteri licet tenuiori viſo impervia, aut difficiliùs cedentia. Hinc diverſam corporum figuram, quâ minori excluſo majus admittatur, ne inferas. Fluidi potiùs quod craſſius apparuit partes ultimas minoribus diametris præditas, ac proinde minores eſſe conjicito.

INANI fermentorum apparatu ſecretionis negotium abſolvi, eam ab his mutuari particulas ſecernendas indolem, ut vaſis occurrentibus figurâ reſpondeant, ſolus circulationis contemptor aſſeruerit. Num turpius medico vim liquores attrahendi vaſis concedere, an fluida vaſorum orificiis, fermentis adhibitis accommodare? Quod enim aliud poteſt eſſe eorum officium? Horum quippe ſolâ operâ ſecretiones perfici ne credideris: veriùs ſuccorum moleculas immutari, indeque eam adipiſci figuram, quâ (aliter figuratis corporibus excluſis) vaſis ſecernentis glandulæ proprii orificium ſolæ ſubeant. Hinc varia variis in glandulis fermenta, variis quoque modis perforata cribra poſtulant; quare utramque infirmiore ſtare talo opinionem putes. Sed eſto, fermentorum ope ſanguinem in minimas attenuari moleculas; hæc igitur ſanguini admiſceri neceſſe eſt, fluent igitur vi circuitûs per canales corporis, fermentumque quodvis quovis loco ſecretionem inſtituet, ſecretioni natalibus locis provenienti ſimilem. Verùm fermenta hæc connata, an adventitia? unius an multiplicis naturæ? eſſe ejuſdem diſſuadet ſecretionum diverſitas; nec enim ſuccum neruoſum fermenti nomine donandum eſſe volet, qui naturam illius & effectus agnoverit. Dices fortaſſe majores glandulis nervos contigiſſe? non minores requirebat inſignior earum uſus, oſcillationis vaſorum per mille plicas, curvaturas, ſimileſque reſiſtentias in illis perennandæ neceſſitas; nervorum igitur lympha pro diverſis fermentis incongrua. Si cum ſanguine per arterias partibus glanduloſis allabi dicas, fermentorum indolis & naturæ te planè inſcium arguis. Quid eorum motum & actionem poteſt impedire? quid eorum confuſioni & deſtructioni obſtare? an aliquid in ſanguine huic officio par aut ſufficiens? connata potiùs eſſe fatearis: ab ipſo igitur primo generationis tempore, tot & tam diverſa fermenta in tenello & exiguo ovulo delituiſſe non ſolùm aſſeras oportet, ſed etiam eâ copiâ quæ perennandis ſtante vitâ ſecretionibus ſufficiat. Quid autem à ratione alienum magis? quid veritati minùs conſonum. Nec enim ſi ante mortem abſumantur & deficiant, alia ſubſtitui poſſe à ſanguine prætereunte credas? ſuum enim deeſt huic inſtituendæ ſecretioni fermentum: hinc vel ſecretionem aliquam abſque fermento celebrari, vel fermenti fermentum dari in infinitum aſſerere ne te pigeat? fermenta fluida eſſe è ſanguinis penu deprompta minimè negaveris; ſi abſque fermento ſecreta dicas, ſecretio igitur abſque fermentis ſemel eſt facta, quidni perpetuò iiſdem poſthabitis fieri poterit.

NON ergò ad imaginaria illa confugias fermentorum & pororum ſubſidia, ignaviæ totidem & ignorantiæ diverticula? Neque humoris indigenæ affinitatem peculiaris hâc in glandulâ ſecretionis cauſam agnoſcas? hic enim ut à ſanguine primò ſecretus, ſic univerſis & ſingulis illius partibus priùs conjunctus, cur hujus potiùs quàm illius reſpueret conſortium? quid autem à fermentis auxilii ſperas? ut ſcilicet ſuâ inter ſingulas quaſque materiæ ſeparandæ partes adactione, hæ divellantur ab invicem, à priori cohæſione ſuâ tollantur, atque ita maſſa illa jam ſoluta, diverſaque corpora ex quibus componitur ſeparata dicantur: id abſque fermentis obtineri minimè poſſe putas? Cordis vim & potentiam, Pulmonum niſum, vaſorum ſtructuram & preſſionem continuam, uno verbo motûs localis ſanguinis velocitatem te fugere neceſſe eſt. De eâ dubitas? cogita ſanguinem per mille reſiſtentias, per innumerabiles vaſorum mille modis curvatorum plicas licet impellendum, eâ velocitate ſingulas ſalluere corporis partes, ut tredecies, ne ſexdecies dicam, horæ ſpatio Cordis viam, mox abeo diſceſſurus remetiatur. Cogita iter immenſum hoc peragrando ſanguinem ab arteriis continuò oſcillantibus preſſum ac ſubactum, eum quem à corde motum accepit ita retinere, ut duplo quaſi augeri videatur. Hinc fermento colligendo à ſanguinis impetu tutum aſſigna ſi potes receptaculum: fermentationi, quam ad ſecretionem neceſſariam dicis, debitum tempus: particulis per glandularum poros ſibi mole & figurâ reſpondentes dirigendis genium peculiarem; ſuperior erit unicus localis ſanguinis motus. Hujus ope attritos comminutoſque ſuccos, nullâ habitâ vaſorum configurationis ratione, quam circularem omnem & ſolâ amplitudine diverſam agnoſcimus, vas quodcunque ſecretorium ſatis amplum occurrens ſubire vero proximum eſt. Quid enim ſecernendis liquoribus obſtaret? an aër? ſed longè magis ſanguis in venâ proximâ contentus accedenti per arteriam obſiſtit. Fluidum igitur in ſecernentia delapſum, delapſuro non obſtat, eodemque tempore ex omnibus arteriis ſecedunt fluida, ſoloque ſanguinis circulari motu, per exiliſſima glandularum totius corporis vaſa tranſcolantur, ſuiſque receptaculis, à preſſione libera, colliguntur & aſſervantur, variis quibus tunc temporis deſtinantur uſibus inſervienda.

Non ergò fermentorum vel mutuæ glandularum & liquorum configurationis opus, ſecretio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Armandus Joſephus Collot.
M. Philippus Caron.
M. Joannes Gelly.

M. Michaël Sauvale.
M. Claudius Burlet, è Regiâ ſcientiarum Academiâ.
M. Alexander Petrus Mattot.

M. Ludovicus Labbé.
M. Andræas Enguehard, Profeſſor Regius.
M. Joſephus Thomaſſeau.

Proponebat Pariſiis MICHAEL PROCOPE COUTEAUX Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1707.